

quasi & stuporem inducere, neminem fore qui non videat.

CONCLUSIO IV. Jam quòd campana nostra vitrea in aëre libero pendula & multò plumbo onusta cymbulas in aquam altiùs detruferit, evidentem rationem esse; quia sc. his onus omne incumbibat, ab aëre quippe, qui tantundem premit, quantum subtus obnititur, nihil adjutis: deinde verò, cùm aquas jam attigisset campana, subjecta huic illarum columna descensui istius, ob vicinarum columnarum attollendarum pondus, validè renixa, magnam oneris illius partem in se recipiebat, ut allevatæ sic cymbulæ potuerint emergere, onusque adeò suum jam multum imminutum per aquas eò faciliùs unà secum provehere.

Causa 4. & 5. Phæn.

CONCLUSIO V. Fluctus porrò in cupa de consilio excitatos procul dubio ideò non potuisse campanæ descensum impedire aut eam subvertere, quòd pondus ejus ac nisus deorsum plus haberent virium quàm illi; ideoque nec marinos fluctus tantam complurium centenariorum molem abripere facilè à recta descensûs lineâ posse, nisi fuerint præter solitum ac supra modum procellosi: quo casu campanæ usum prudens Urinator intermittet sine dubio, tempus aliud commodius & sedatius mare expectaturus.

Causa 6. Phæn.

CONCLUSIO VI. Cur pupula nostra in medio campanæ vitreæ, & Urinator in medio suæ ligneæ ficci penitus ad aquæ fundum descendant, ejus rei causam in Conclus. V. Tentam. I. Part. I. Colleg. Experim. jam esse indicatam, aërem sc. cedere ne scium & aquas consequenter ingressu prohibentem.

Causa 7. Phæn.

CONCLUSIO VII. Eandem porrò causam cerei accensi flammam ab aquæ contactu defendere, & sic ab extinctione conservare, ita prorsus non metuenda ante consumptum penitus cereum, nisi ob loci angustiam vel obruta fuliginibus exitum nullibi inventientibus suffocaretur, vel, (quod aliqui volunt præter materiam pinguem & sulphuream requiri)

Causa 8. & 9. Phæn.